



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XXV. Struthiocamelus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Præterea nobis ventrum est acre venenum,
At capris adipēs, & coturnicibus auget.

Et Ovidius ad venenum spectans:

Ecce coturnices inter sua prandia vivunt,
Forſitan & ſunt inde frequenter anus.

Hæc Aibe-
naui lib. 9.
Coturnix
Herculi ſa-
ſacta.
Auſtor Ze-
nodotus.

Nam ut in Serpente dictum, excogitatum est in morbis desperatissimis Viperas edendas dare: unde non modo ſalus, ſed vitæ etiam ſubſecuta ſit longitudo. Cur vero Phœnices Coturnicem Herculi ſacrificarent, cauſa eſt, quod in fabulis eum ab hac alite ſervatum ajunt: hunc enim Jovis & Altreæ ſolium in Lybiam profectum, à Typhone occiſum eſſe autumant, Jolaumq; Coturnicem ejus nartibus admoviſſe, cujus odore fuerit in vitam reſtitutus; & ne mendacio locuples abeſſet teſtis, vulgatum eſt etiam dicterium, ὄφρυζ' ἕστωρ Ἡρακλῆω ἢ καὶ πτεγῶν, Fortem Coturnix ſoſpitavit Herculem. Alii etiam dicunt ejus alitis eſu à comitiali morbo, quo inſigniter laboravit, liberatum eſſe: quo ſi tentantur & Coturnices, facile fieri potuit, ut ſympathiæ vi aliqua tacitave atque incognita naturæ potentia, vel nidore vitæ, ut nonnulli ponunt, alitis uſtulata, vel eſu potius morbi genus id fugaretur, atque ita Hercules vitæ, redditus fuiſſe videretur, quod eſt vero ſimilius. Sed ne, Vir clariffime, te magnis & aſſiduis Republicæ negotiis detentum ulterius demorer, mira hæc minime videntur eſſe: quia variis medicina modis prodeſt, noxia modo per ſimilitudinem cognitionemq; naturæ deducendo, modo per diſſenſionem contrariamque vim expellendo, modo ſenſim abrodendo, modo per diſſolutionem mitigando, aliis atque inventis, quæ ſalutaria quis novit, adhibendo, ut tam contraria quam conſentanea prodeſſe comperiantur.

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER XXV.

DE IIS QUÆ PER STRUTHIOCAMELUM
ET MINUTIORES ALIQUOT AVES
SIGNIFICANTUR.

Ex ſacris Ægyptiorum Literis.

AD THOMAM MILIARIUM BELLU-
NENSEM.

Concendendum ſuperioribus diebus ab Leonardo patre tuo, ne te aſſiduitate tam pertinaci, tamque literarum ſtudiis inſenſecore permitteret: id enim è re tua fore, & ad ſalutem tuam ſacrum plurimum arbitrabar, ſi fervor ille adolescentie tue, aliqua otii interpoſitione cobiberetur: proinde aliquid commiſceretur, quo tu Venetiis apud nos per geniales hos dies, quibus videntur celebratur, aliquam laboribus tuis quietem interponere cogereſ, ut aliquando nobiſcum amoniori cuipiam tete concederes hilaritati, paulo poſt ad lucubrations tuas alacrior rediturus. Non enim animus ſine ſultura corporis ſuſtineri poteſt. Neque mihi ſatis placet, quod à Platonem illum tuum apud ſponte atque ex animi ſententia, Academia locum minime ſalubrem delegiſſe, ubi Philoſophantiam apud ſe corpora macerentur, debiliomque fierent: ſive mea hæc ſemper fuit imbecillitas, & ad hæc ut que etiam naturæ ſponte valetudinaria: ſive perſuaſum habeam incommoda corporis ſtudioſorum profectui plurimum offecere. Quantam enim ego hinc jacturam fecerim, ſum mihi met ipſe conſcius. Et quantum cæli hujus patrii benignitas mihi contulerit, ipſa jam minus cadaveroſa facies, quam at-

A Tulenm Roma, facile poterit indicare: & tristi quippe quodam senio in prosperam, nitidam firmamq; virilitatem transmutata. Sane hinc advigilantium perseverantiam, & legendi scribendiq; labores tolerandos longe alacriorem factum me senio. Tu, quod magis conferre soleat ipse videris, dummodo valetudinis atque firmitatis ratio in primis habeatur. Fecit autem ille, ut omnibus, in rebus festivissimus est, quod deponerem: tu vero respondisti, venturum te libenter, si modo per dies hos, quos in patria consumpturus esses, vellem ego tecum quotidie vel venatione, vel aucupio exerceri. Accepi conditionem, quantum ad aucupia pertinet: ac ne me imparatum deprehenderes, neve ulla nos tempestas, aut casus, ne minus res cum avibus esse posset, intercumberet, aviarium variis alituum generibus instructum comparavi: idque totum tibi, ludoque tuo destinavi. Tu cum voveris, quid facturum sis vide simulac convivium ex iis construere constitueris, utrum simplices has carnes, sine ulla peregrina jucunditatis aspergine, sine Apitiano ullo artificio sis appositurus: an, quia nonnullæ forsitan fatuæ, & sine succo videbuntur, hic condimenta illa aromataria Venetiis allata sis adhibiturus: ea vero quam suavia, quam odorata, quam pretiosa. Propera igitur, ut quando per Ægyptum aucupia nostra sumus exercituri, apud Cleopatram facias nos cœnare. Ego enim bellum depeculabor, & patinarum struere apparabo, tu corollaria & secundæ mensas addere collatio illo, uti consueverimus, more non gravaberis.

DE STRUTHIOCAMELO. CAP. I.

Facile quidem meminisse potes, optime Thoma, quo die Carolus V. Imp. à Clemente VII. P. M. Bononiæ coronam accepit, sacrificii genus quoddam à Germano milite media platea procuratum: interfuisti enim rei gestæ, cum Bovem mactaverunt, cujus uterum exenteratum, variis alituum generibus, aliorumq; esculentorum farcimimbus complevere, lætum hilarumq; diem ex his omnibus una tostis celebratur. Ita nos tunc facturi videmur, qui Struthiocamelum, visendæ magnitudinis alitem, minutioribus plerisque aviculis in ejus alvum ingeltis confarcivimus. In collacitiis vero nostris cœnis illis, quas post relictam Romam patriæ redditus, teque sodali jucundissimo reperto propuleramus, singula tantum singulis ciborum genera per sortem educerentur. Nostri multa ejus multipliciter esculenta à convivio sub uno vel farinaceo integumento, vel omasi cuticula delitescerant: sed non id ganeæ, verum hilaritatis causa. Quare cum hæc fieri soleant in ludum, nos quoque ludum boni omnium causa profecuti, ingenti illi minores alias aves ingessimus. Maxima ea omnino avium, si modo avis appellanda est, cui pulmæ tantum sunt, non tamen volatus: cui crura, pedesq; atq; ungulæ, non forma tantum, verum etiam magnitudine propemodum bubuli. Sed hæc alii disputabunt, nos plumarum alatumq; animal in volucrum ordinem interim admitteremus.

Plin. ead.
lib. 10. c. 2.

JUSTITIA. CAP. II.

Hujus sane pennæ, quoniam præter alarum avium morem æquales omnes inter se sunt, justitiam & æqualitatem erga omnes significant, ut apud Horum habetur. Plurimus vero earum usus ad canos bellicos, & galeas adornandas, tam apud veteres, quam apud nostros, cujusmodi illæ, quæ in eo numo habentur, cujus inscriptio, T. CÆSAR DIVI AUG. F. AUG. P. M. TR. POT. XXIIII. Ibi enim pennæ hujusmodi in quodam sermo sitæ sunt supra frontem sigilli, cui subiecta est inscriptio, JUSTITIA. Numum Bononiæ vidi apud Joan. Achillinum. ibidem apud Alexandrum Calciniolum solum Justitiæ caput in numo est, cum eodem pennarum æqualium gestamine, iisdem litteris, quippe, JUSTITIA. Sedenim ut ad alitem revertamur, quoniam Struthiocameli stolidi adeo sunt, ut cum colla fruticibus occultaverint, latere sese existiment, succurrit Carneadis disceptatio, qui Justitiæ nihil aliud esse quam meram insaniam profitebatur.

Corneadis
disceptatio.

ἐπεὶ λῆξις,
id est, sum-

mitates.

Hinc Pinni
rapti Retia-
rii.

PINNÆ IN MOENIBUS. CAP. III.

Ad ejusdem speciei similitudinem muroꝝ summa fabricari solita, causam dedere ut Pinnæ vocarentur ab iis, ut Varro ait, quas insigniti milites habere in galeis solent, & in gladiatoribus Samnites. Hinc intelliges de armatura Samnitium, quæ alibi apud Varronem & Plinium legeris.

Sane si quis Aegyptiorum more elementorum concordiam indicare voluerit, non imperite picturam eam proponet, quam ipse rerum opifex per animalia per id praeseferentia consideranda proposuit, Lutram scilicet, vel ejus loco marinum Vitulum, Struthiocamelum, & hominem, uno vinculo religatos. Lutra siquidem, & Vitulus marinus, media sunt animalia inter terrestria & aquatica, vinculumque illud ostendunt, quo terra applicata sunt aqua, suisque coercentur finibus: quia Divina providentia cum arenam terminum maris posuisset, leges etiam imposuit aquis, ne fines transgredierentur suos. Struthiocamelus autem ambiguus est inter terrestria & aëria: vere enim volucris non est, quae nequaquam à terra, ut volucris, attolli potest: pennae autem alaeque illi ob id tantum à natura datae, ut cursum adjuvert. Crura vero uti dictum, bovillae propemodum, unguulasque bifidas habet. Denique inter elementa omnia, & caelum ipsum, homo intermedius est constitutus. Ita per hujusmodi picturam tota ipsa rerum machina describitur.



MULTIVOLUS. CAP. V.

Divinae literae Struthiocamelum pro multivolo homine, & certi nihil sibi adfisciente ponunt, videlicet qui sacrae adscriptus militiae, profanis tamen negotiis implicetur, iisque tantum tractandis occupetur. Nam quod alatum est, contemplationem refert & exscribit, sed propter vasti corporis magnitudinem tollere se humo nequit, alijs tamen, uti dicebamus, ad cursum utitur. Quod pedes bovillos habet, terraeque semper adhærescit, quæ terræ sunt significata suscipit: ita enim videtur Hefychius interpretari. Quod vero ad animalis hujus ingreditur, tamen volare nequit, perniciosissime tamen currit. Struthiocamelos ait Xenophon, quos apud Euphratem Cyri milites offenderunt, à nemine capi potuisse: tam longe enim modo pedum pernecitate, modo alarum quasi velificatione procurrebant, ut statim equites desperata præda insequi desisterent.

Plin. lib. 10.
c. 1.

HÆRETICUS. CAP. VI.

Quod vero superius diximus ex Hefychio, Eucherius quoque per animal hujusmodi hæreticum hominem significari tradit: qui habere quasi videtur sapientiae pennas, volare tamen non potest.

HYPOCRITA. CAP. VII.

Eucherius idem ait de hypocritis dictum ab Elaia: *Erit cubile draconum, & pascua Struthionum.* Parit siquidem ova Struthio, verum, ut a sibi diximus, neque illa incubatu fovet, neque pullos nutrit. Ita hypocrita, quamvis recte alios admoneat, & recte faciendi vim addoceat, nullos tamen filios per illum bene actae vitae exemplum generat. Hinc Jobes clamat: *Struthio in terra reliquit ova sua, & obliviscitur, quod per ea sit conculcaturus,*

Esa. 534.

INSIPIENTIA. CAP. VIII.

Adhæc, uti paulo ante dicebamus, genuina illa animalis stoliditas effecit ut imago Struthionis acaput intra frutices abscondentis, insipientiae hieroglyphicum haberetur: utpote, qui cum avium sit grandissima, ita ut altitudinem equitis equo insidentis excedat, si tamen colla tantum frutice occultaverit, latere se totam existimet, cum reliqua magna admodum corporis moles in aperto relinquatur. Ita dum in capite secunda est, diceret Tertullianus, nuda, quia major est, cum capite capitur. Diodorus tamen id à Struthiocamelo, non ex stupore fieri contendit: sed quia sibi conscius habere se caput admodum debile, occultare id quamprimum studeat.

Plin. lib. 10.

DE VESPERTILIONE. CAP. IX.

Monstrosa quoque est Vespertilionis effigies, multaque in se mystica continet hieroglyphi-
ca.

AB EXILI FORTUNA IN ALTUM EVECTUS.

CAP. X.

Præcipuumque illud apud Ægyptios tuit, ut per animal hujusmodi significarent hominem, qui debilibus & exiguis viribus, sive nobilitatis, sive fortunæ, sive etiam ingenii præditus, ita tamen repente emerferit, ut non se tantum humo sustulisse, sed subito volatu elatus in sublime ferri videatur: cujusmodi exemplorum plena Roma semper fuit. Vespertilio siquidem licet pennas non habeat, sola tamen membranula fretus volat, ita ut difficulter distinguas, sit ne avis, an mus. Quare apud *Hæc à Plin. lib. 10. c. 61.* mythologos argute vafreque duas eludit mustelas, dum se alteri avem, alteri se murem venditat, atque ita capitis periculum evadit.

OFFICIA MUTUA.

CAP. XI.

Mirum vero illud inter hoc tam brutum genus, quod tanta se humanitate complectuntur, ut nulla convenientius specie figurave officia mutua describas, quam per Vespertiliones alterum ab altero catenatim dependentes. Habet enim id genus animalium mutuam inter se quamdam benevolentiam, sæpeque veluti catena quadam contexta, si qua ulli vis inferatur, mutuo sibi coherent, imbecillitati suæ opem sibi invicem afferentes, visæque sunt alia ab alia alarum hamis unius ad alterum porrectis pendentes, longum veluti funem produxisse.



NUTRICATIONIS FACULTAS. CAP. XII.

Mulierem iidem sacerdotess lactis ubertate sæcundam, & bene nutricantem significare si vellent, *Plin. lib. 10.* eamdem ipsam alitem pingebant: quippe quæ sola volucrum & dentes & mammillas humanis similes habet, lacteque nutrit pullos, uberibus mulierum in modum admotis. Nam Ægyptii, ab iis quæ in unoquoque genere reliquorum naturam aut mores excederent, significationum suarum argumenta desumebant. Quod vero ad mammas pertinet, Græci hanc alendi felicitatem indicaturi, Dianæ simulacrum mammosum effingebant, cujusmodi illud fuit, quod Ephesi tam diu tanto con-
Diana simulacrum mammosum. cursu visitatum, eamque Latini ea de causa multimammiam appellarunt, cujus exempli multa hodie Romæ vetusta signa conspiciuntur. Minime vero prætereundum est, hoc loco in impressis exemplaribus Hori perperam legi, *Τὴν αἰμαθὴν καὶ καλῶς ἀνατρέψαν βελόμενοι ζωογονῆσαι, τε μὲν ζωογονῆσαι, cum ex manuscriptis codicibus antiquis & historia ipsa legendum sit, βελόμενοι ζωογονῆσαι, νυκτερὰ πάλιν ἔχουσαν ὀδόντας καὶ μαστῆς ζωογονῆσαι hoc est, Volentes pingere Vespertilionem, idem idem dentes & mammas præditam pingunt.* Inde sequitur pro redditione causæ, *ἔτι γὰρ μὲν τῶν ἄλλων πτηνῶν ὀδόντας καὶ μαστῆς ἔχει.* Siquidem sola ex omni volucrum genere, & dentes simul & mammas habet. Quorsum enim dentes & mammas ad Turtorem alitem minime monstrosam?

LUCIFUGA. CAP. XIII.

Quod si hominem latebris & occulto secessu gaudentem, vel qui rei cuspam metu percussus *Vespertilionum & Formicarum antipathia.* in apertum minime prodire audeat, significare vellent, Formicam & Vespertionis alam adpingere consueverunt. Ajunt siquidem, eam esse inter Vespertilionem & Formicas naturam discordiam, ut si ala tantum Vespertilionis Formicarum cavo admota fuerit, nulla earum foras progrediatur.

Quinetiam sunt qui tradant credi solitum, Formicam eo numquam exire, quo Vespertilio vel semel accesserit, atque ideo Formicam sub Vespertilionis ala positam, & moræ, & tarditatis aut impediementi significatum habere. Transiit & ad Columbas huiusmodi sympathia: quia, ut Florentinus libro de re Rustica ait, Columbarum stationem minime deserunt, si Vespertilionis caput supra turrim posueris.

Cum formicis siliet.

INSCITIA. CAP. XV.

Cognitionem alibi per lumen significari diximus: unde etiam Dare luci, pro declarare, & edocere saepe legimus: contra vero inscitiam per tenebras intelligimus, unde Hallucinari, pro decipi per ignorantiam. Quoniam vero Vespertilionis ea natura est ut tenebris gaudeat, neque lucem ferre possit, Divinæ literæ dum Vespertilionem à sacris summovent, *ἱερογλυφικῶς* cum intelligunt virum in quo nullum disciplinarum, aut veræ institutionis lumen effulgeat, explodi debere: alioqui apud Eucher. Vespertilioes in Divinis literis idolorum monstra sunt. Propheta: *Ut adoretis Talpas & Vespertilioes*. Sunt etiam cogitationes immundæ, quas improbi dæmones ingerunt, ut idem sentit.

Triplex hic. Vespertilioes.

SECURITAS. CAP. XVI.

Neque defunt, qui securitatem indicaturi, Vespertilionem inverfo capite pingant: is enim circumlatus domui vivus, & super fenestram vel in hyperthyro, aut ipsis in valvis inverfo capite affixus, maleficiorum amuletum creditur, Plinio etiam id tradente, quod ad hæc usque tempora plerisque locis factitari videmus. Contra vero, si quis etiam amoliri arcereque ab ædibus velit suis, platani folia suspendat. Africanus enim in his, quæ de agricultura conscripsit, Vespertilionem eo non ingredi tradit, ubi arboris huiusmodi folia suspensa conspexerit. Pro corollario addam occisi eas hederæ suffumigata. Nam eas, qui sustulisse se profiteri signo aliquo velit hieroglyphico, Vespertilionem faciet hederæ folio insidentem. Nam Alcithoe Leucothoeque forores apud Ovidium sprevisse Bacchi sacra finguntur, eaque de causa in Vespertilioes mutata, unde suffitum hederæ ita exhorrent, ut eo etiam necentur.

IMPURÆ MENTIS HOMO. CAP. XVII.

Hesychius ait etiam hieroglyphicum esse hominis, qui fero & parce fidei documenta susceperit: inque illis mente non satis firma versetur, sed in ambiguo omnia reponat, neque sciat de terra sua exire, sed in quibus genitus est latebris libentissime delitescat, Christianus demum sit, sed parum fidelis: fero enim Vespertilio prodit, sub ipsum quippe crepusculum vespertinum, atque ubi tribus aut quatuor spatiolis volatum exercuerit, à noctis tenebris occupatur, neque longe fertur, sed supra circumque tecta semper volitat: cum Abrahamo Dominus peregrinationem indixerit, terra in qua alitus erat, quamque inhabitabat, derelicta, pristinam scilicet imbecillitatem & crassam originem nobis posthabendam admonens, perinde ac etiam separari nos à parentibus, & sequi Dominum doctrina moneat Evangelica. Vespertilio demum utrum ales an musculus sit, extat in ambiguo, cum, uti paulo ante diximus, ipsemet in fabulis persuadeat Gallo se esse Murem, Catto vero alitem. Volat quidem, non tamen pennis, sed membranulis innixus, neque pluma, sed pilo, atque eo quidem murino, vestitur. Ita homines plerique volatu qualicumque præditi, baptismatis tantum tinctum assecuti, apud Catholicos Christum fatentur Petrum Ecclesiæ specificè proposuisse, apud hæreticos impudenter delirant atque prævaricantur, apud Judæos Christum rident, apud Mahumetanos tam Judæos quam Christianos incessunt. Impurissimum hominum genus, non modo Vespertilionibus perquam simile, sed cui merito *διὰ τὴν ματαίωσίν* nomen inditum sit: abominabile id quidem, & omnibus abhorrendum.

DE OTIDE CAP. XVIII.

OTIDAE Græci dicunt, quas aves Tardas Hispania, damnatas in cibis: propterea quod offibus ejus effractis, teter odor ex medulla ad tædium usque extemplo sequitur. Sed enim Xenophon earum carnem ait multo suavissimam. De tarditate idem tradit, & faciles captu asserit, quod nihilo quam Perdices longius provolent, celerrimeque fatigentur. Ægyptii Sacerdotes hanc quoque hieroglyphicis annumerarunt. *Plin. lib. 10 c. 10 adem*

IMBECILLUS FORTIORI ASSURGENS. CAP. XIX.

Quippe si hominem imbecillum qui ferociori potentiorique assurgeret, in ac rebus gerendis sententiaque dicendis primas illi partes cederet, significare ii vellent, aut ita faciendum admonere, Otidem avem, & Equum adpingebant: illa siquidem simulac Equum aliquem in conspectu habuerit, nihil quicquam contata, illum quadam veluti venerationis ostentatione excipit: circumque volitando, & subsequendo deducendoque, officium facere quodammodo videtur.



Otidis demissio.

NIL ALTUM SAPIENS.

CAP. XX.

Cum vero Otis omnino avis sit, animi est identidem signum: alatus enim animus passim apud Platonem. Sed hæc animum indicat ignavum ac stupidum: quippe quæ tarda est, corpulentiaque adeo gravis, ut vix sese terra attollat, ita terreni etiam affectus, quo quispiam detineatur, indicium est: quippe qui nihil sublimè sapiat aut meditetur.

CONTUMAX. CAP. XXI.

At si quis contumacem aliquem & monitoribus asperum, ab omnique bono opere alienum, hieroglyphico referre voluerit, aptè Otidem & Canem pinget: nulla enim avis Canem exhorrens, inimicum scit præter Otidem, quæ suæ sibi conscia tarditatis, simulac Canem conspexerit, latrantem audierit, quid statim arrepta fuga se condit in latebras. Per Canem autem suo commentario, Sacerdotem præcipue significari diximus in templis concionantem, de divinis, de pietate, reliquisque bonis moribus disferentem, contra impios scilicet & improbos oblatrantem. Eum igitur qui subfugitet & Sacerdotes, ingenio plurimum contumaci esse consentaneum est. *Canis Otidi inimicus quid.*

DE ALCEDONE. CAP. XXII.

Alcedonem, quod hæcenus viderim, Ægyptii non posuerunt: ea vero apud Italos sua habet significata.

TRANQUILLITAS. CAP. XXIII.

Quorum vulgatum illud est, per Alcedonis nidum rerum quarumlibet tranquillitatem indicari: hæc à Plin. mare siquidem per dies circiter quatuordecim, quibus aviculæ illæ nidificant in littoribus incubantque, mira pacari serenitate compertum est. Est vero nidus ille miro artificio ex pisciculorum ossiculis & spinulis contextus, ad gladii cuiuslibet ictum incolumis, figura cucurbitæ, præter unum per exiguum cavum, qua ingrediendi & exeundi sit parentibus aditus: cætera conclusus. *lib. 10. c. 32*

JUSTITIUM. CAP. XXIV.

Transit & ad res civiles figuræ hujusmodi significatum: nam hæc ad maris varietates accommodantur: est enim justitii monumentum, ideoque à Plauto dictum, *Alcedones esse juxta forum: ἀλκυονίδες* *Ad δεξήματα*

Ad suspensas enim fori procellas, fluctuationesq; & turbines, hoc aptissime refertur. Nam & Hora-
 tius *mersari se ait, si quando res agere adhiberit civilibus undis.* Ita dies Alcyonia, dicuntur, quibus
 Alcyonii
 dies, ex Ari-
 stoph. abib.
 Dies Alcyo-
 nia quid.
 Hor. prima
 epistola.
 Ibid. Plin.
 Sed hoc re-
 paratum est
 calendario
 Gregoriano.
 fora conticescunt. Sunt vero dies Alcyonia, ut luculentissimo carmine Simonides tradidit, septem
 ante brumam, dum scilicet incubat, & septem a bruma, posteaquam pulli exclusi fuerint: quibus epi-
 dem diebus ea tranquillitas non semper nostris locis, in Adriatico quippe sinu, contingit, neq; etiam
 Tyrrhena ora: at in Siculo mari fere semper. Fit vero bruma, ut Hesiodi interpretes scripsere, men-
 se Januario, quem in honorem Bacchi Lenæum ipsi vocant, & eo mense a Latinis Brumalia celebra-
 dicunt, quod Bromius Bacchus appelletur; Sedenim Traiani temporibus, quod de atate sua Plinius
 profitetur ad §. Calend. Januarias fuit, quo die natus est nostræ salutis Assertor. Accidit autem bru-
 ma, tresq; cardines reliqui, in octava singulorum, Capricorni, Arietis, Cancri & Libræ, quæ diuina
 nitate temporis ob minorum aliquot neglectam intercalationem, minime nunc respondero con-
 perias: nam octava Capricorni, circa vigesimam est nunc Decembris diem. Sedenim hæc perpes-
 dere Astronomorum diligentia dimittamus.

CONSVETUDINIS RARÆ HOMO. CAP. XXV.

Plin. ibid. Alcedonem præterea pingebant, quotiescumq; vellent hominem raro prodeuntem, & minimo
 temporis momento cum hominibus versatum significare. Alcedonem siquidem videre est
 omnium rarissime: fere enim circa Vergiliarum occultationem, brumamque ipsam apparet, & sibi
 primum per portum non plus quam navem circumvolaverit, statim abit, ut nusquam præterea con-
 spiciatur: de quo apud Stesichorum latius. Causam hujus nidulationis hybernæ quarit Albertus, cum
 esse suspicatus, quod avicula ea rara adeo sit textura, ut æstate propter nimiam corporis aciditatem
 progenerare nequeat: hyeme vero obturatis præ frigore poris, humidiorq; effecto corpore, hinc
 conceptum idonea. Non dissimularim hoc loco quod Antigonus ait, Alcedones ubi senescunt. Ce-
 rulos vocari. Verum Aristoteles discernit inter se diversas, Alcedonem, Cerulum, & Cornicem. Sicut
 qui harum marem Cerulum vocent, idque verum esse tradunt interpretes Theocriti.

DE CURUCA. CAP. XXVI.

Sunt pleraque de quibus Ægyptii parum, alii multum locuti sunt: quæ tamen quoniam Ægyptia-
 cis commentis non dissimilia sunt: in Struthiocamelum hunc infarcienda videntur, atque in his
 Curuca & Cuculus.

ALIENI FILII PRO SUIS EDUCATI. CAP. XXVII.

Cuculus in nido Curucæ nidificat. Hinc Juvenalis, Tu ti. bi nunc Curuca places. DE quibus vulgatissimum apud omnes scõmma, hominem per eam significari, qui filios adu-
 rinos pro suis pascit, Cuculas enim Curucæ absumptis ovis, in ejus nido sua potissimum ova
 ponit, utpote qui se ignavum minimeque idoneum agnoscat, qui possit pullis necessaria comparare.
 Sui igitur sibi conscius imbecillitatis, eam in rationem ad proliis suæ tutelam: quippe qui omnium
 avicularum injuriis sit expositus, vereatur quæne si nidum struat, minimo inde negotio depellatur.
 idcirco ad alienas confugere opes pergit Curuca itaque ova illa fovet & excludit, atque educat pro
 suis. Aristoteles, si modo legitimum est id opusculum, De mirabilibus auscultationibus accidere hoc
 in Helice tradit, addit & in Palumbium aut Turturum nidis ova ea deponi.

DE CUCULO.

MINIMA QUÆQUE DE RE TIMIDUS. CAP. XXVIII.

Cuculi so- cabulum in injuriam abibit. Cuculus, quia timiditate maxime omnium avium genus excedit, adeo ut a minimis quibulque
 aviculis convellatur, easque præ metu fugitet, commenti nonnulli sunt, hominem minima
 quæq; expavescentem, per alitis hujusmodi picuram significari. Unde convicia illa, sive quempiam
 adultere



A adulteræ uxoris maritum dicere volumus, sive ignavum, sive stupidum, aut nullo animo prædicum hominem notare. Cuculum appellamus, ut apud Horatium Sermonibus :

*Tum prænestinus falso multumq; flæenti
Expressa arbussto regerit convicia, durus*

*Vindemiator, & invidius cui sæpe viator
Cessisset, magna compellans voce Cuculum.*

*Lib. 1.
Sat. 7.*

Solent, inquit Porphyrio, levia rustici circa viam arbusa vindemiâtes à viatoribus Cuculi appellari: Eadem ferè Plin lib. 18. c. 16 & huc allusi Plautus in Asinaria. At etiam cuculus: sferge amator. i domum.

tum illi provocati, tantam verborum amaritudinem in eos effundunt, ut viatores illis cedant, contenti eos Cuculos iterum atq; iterum appellasse. Ego cum Octobri mense Roma Neapolim proficiscerer, in eiusmodi jocos incidi, per continuum diem conviciis hujusmodi delectatus. Quare cum Acrone dicere possumus, hoc autem ipsa re novimus, quemadmodum viatores quos in itinere vindemiatores per agros cospexerint, conviciis agitare gaudeant, illique ita respondere, ut Cuculum eam apellent quasi pigrum, ignavum scilicet ac nihili hominem. Sed hoc parum est, & quod à Porphyrione dicitur, subfrigidum: hodie siquidem res agitur calumniis etiam vehementioribus: viatores enim eos nunc Pulterones, nunc Cornutos, nunc alii atque aliis conviciis incesunt: illi contra, sive civis, sive magistratus, sive Rex ipse occentare cœperit, omne opprobrii genus regerunt, tegendisque retectis turpissima quæque minantur: præsertim si celsissimis quæ frequentes tota regione sunt arboribus infederint: quamvis id impune toto agro Compano Neapolitanoque, tempore vindemiæ licet, ne quid Liberi liberati detrahatur. Atque hoc illud est quod Flaccus ait: *Durus vindemiator & invidius cui sæpe viator cessisset.* Quoniam vero species Cuculi certo anni tempore non multum differt ab Accipitre, locus fabulæ datus, quam in Arati vita Plutarchus refert. Ipsa enim inducitur minores aviculas percontari, quare fugerent se conspecta, quæ nullam præ se ferat ferocitatem: quoniam, responderunt, suspicamur te aliquando futuram Accipitrem.

TRANSMUTATUS. CAP. XXXIX.

Possumus igitur hominem, qui vel mores vel effigiem ita commutarit, ut alius pene videatur, per eundem hanc avem significare. Ea enim figuram immutare creditur, & in aliud transire genus, cum inter Accipitres omnino numeretur, licet unguibus sit haudquaquam aduncis, neque capite Accipitri similis, sed colore tantum, rostro quoque magnitudineque columbino potius quam Accipitrino.

PULICUM DEFECTUS. CAP. XXX.

Alii porro, quoniam Ægyptios animadvertent de pulicis defectu describendo sollicitos fuisse, quippe orgianum in eo significato proposuerant, addidere ipsi Cuculum, & humanum vestigium, qua specie pulicum exterminationem indicarent. Ferunt enim, quo quis loco primum audiat pulices quid. alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium inde fodiatur: non gigni pulices, ubicumque pulvis eo vestigio compressus, sparsus fuerit. Hæc observarunt Magi. Pulicum vero nuncupatione humiles sordidæque curæ sunt intelligendæ, quibus impliciti vitam agimus anxiam & inquietam. Multa enim, licet ea pingere aut sculperè insanientis vaniq; sit ingenii, ob exiguitatem, quæ minus repræsentari potest, usu tamen loquendi frequenter usurpantur.

JUNO CAP. XXXI.

Pausanias, ubi opera ea recenset, quæ Mycenis spectatu digna viderentur, in sceptro, quod in Junonis manu erat, Cuculum insedisse dicit: eaque de causa signum ita fieri solitum, quod Junonis desiderio Jupiter aliquando in eam aviculam se converterit: tam inania illi de diis suis comminabantur. Quinetiam locum Coccygium appellatum authores celebrant, in quo Jupiter in Cuculum sit mutatus. Apud interpretes Theocriti ita leges, Jovem Junonis congressum appetiisse, rem tamen occultare voluisse: mutatum itaque in Cuculum, abiisse in montem qui tunc Tronax, postea vero

vero Coccyx appellatus est, eoque & Junonem concessisse, quæ simulac affedit, Jupiter in ejus avis effigie ad eam advolavit, seque in ejus genua projecit: repulit hunc Juno excusso peplo, at illa statim mutata facie acceptus ab ea est. Hinc apud Argivos Junonis simulachrum in throno collocari, in manu vero sceptrum poni, supra quod Cuculus. O lepidos & otiosos deos, qui puerilibus huiusmodi delectarentur: sed longe magis ineptos, qui talia scriptis mandare non erubuerunt.

NUPTIÆ. CAP. XXXII.

*At in Gallia
contra.*

Cum vero vincula jugalia curæ sint Junoni, putarim ego boni ominis causa, Cuculum deæ deditur: cari solitum: boni est enim augurii Cuculus, nostrique solent ex ejus cantu ducendæ uxoris tempus percontari. Caro autem ejus si in cibum autumnali tempore veniat, ceteros sapores exuperat.

VERNUM TEMPUS. CAP. XXXIII.

Est & verni temporis signum Cuculus: id quod vel imperitæ innotuit plebeculæ. Porro nuncium eum veris ponit Hesiodus:

ἤχομαι κόκκυζ κόκκυζ δὲ θεὸς ἐν πελάγοισι.

Ut cantum audieris quem reddit ab illice coccyx.

Tunc enim exultare hominem dicit, quia verum eo nuncio veris adventum intelligant. Pithochærus apud Aristophanem, Avibus, ubi Cuculus Ægyptiis imperasse dicit, tam eos ait quam Phœnices ad cantum hujus aviculæ, tanquam ad imperium, triticum & hordeum demetere solitos; temporis enim apud eos messis, quam in Græcia & in Italia fit.

DE CAPRICIPITE.

AGELASTOS. CAP. XXXIV.

*Sedes visus,
amoris, li-
bidinis &
iracundiæ.*

Hominem qui nulla jucundiore consuetudine possit ad risum allici, quod ejus expertus est, veluti Socrates fuisse fertur, ostendere si vellent, Capricipitem avem pingebant, quam sine omnino carere tradunt; in liene vero sedes est risus, veluti amoris in jecinore, libidinis in humbibus, iracundiæ in felle. Eaque de causa dictum, Columbam summam significare mansuetudinem, quod bile careat.

DE UPUPA.

FERACITATIS PRÆCOGNITIO. CAP. XXXV.

Upupam Ægyptii cum pinxissent, præcognitem vindemiæ feracitatem, sive latum ac plentium vindemiæ proventum indicant, latitiam scilicet aliquam affuturam, ut in Vite latius explicatur. Quia si ante vindemiæ tempus valde clangere audita fuerit, nimirum vini redundantiam præcognoscere creditur.

EBRIETATIS REMEDIUM. CAP. XXXVI.

*Perpetuo
Sirentem.
A Plin. l. 2.
s. 21.*

Hominem vero ebrietate laborantem, ac sibi remedium comminifcentem, significare cum vellent, Upupam & Capillum Veneris herbam pingebant: Upupa siquidem uvis vescitur immodicè, ita ut plerumque inde ebria fiat, ac simulac se tentari sensit, Capillo Veneris decerpto efficacillimè sibi medicatur. Herbam hanc ἀδίασην Græci vocant, ὅτι τὴν μὴ διαίνεσθαι, hoc est, eo quod minime morcescat, neque quidem si aqua pertundatur, immergaturve, neque bruma putrescit, ut herbarum reliquarum. Summovent autem Upupam Divinæ literæ, quam piorum mensis inferri nolunt, querulam quippe volucrem, lugubrem atque luctuosam, quæ nihil unquam nisi mœstum & triste meditatur. Unde per alitit hujus hieroglyphicum, hominem vitiiis deditum intelligunt Theologi: propterea quod nemo magis querulus, magisque mœstus assidue est, quam unusquisque vir improbus atque flagitiosus. licet

A liciat hunc admissorum scelerum conscientia, vel inquietum exercet admittendorum cupiditas & *Urupa hieroglyphica in Divinis explicatio.* impotentia. Nam si tumore superbiae turgescat, quæ illi unquam hilaritas arridebit? Fastu cruciatur assidue, neque ullos tantos putat honores, qui quod affectat explere possint. Repulsam passus est, in felicissimum se mortaliū putat. Avarus est, si jactura quantulumque fiat, vicem deplorat suam: si prædam cui inhiabat elapsam videt, miserè cruciatur. Quid iracundus? annon statim ut incensus est poenas vitii dat sui? Unde Salomon ei luctum mandat, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa manus sanguinaria. Quid invidus? nonne suimet carnifex indefessus? Quid libidinosus? mentita est amica, æstuat immensum: explevit cupiditatem suam, languet & erubescit. Quid vorax? distentus est, ægrè habet: famescit, extorquetur. Quid ebriosus? aret guttur, pulmo inflammatur: potavit, mente, capitur, titubatur, semianimis deficit, atque ut semel cum Flacco dicam:

Anne magis Siculi gemuerunt ante juveni,

quam ejus animus qui sit improbitati, facinoribusque additus flagitiosis: Contra vero probus modestusque vir, ruat cælum, nulla re commovebitur, gaudebit semper, æquanimis erit semper; gaudentem hilaremque scit à Deo vocari, exultantem sacris admoveri. Repulsam patitur, modestè fert: jactura afficitur, parvo contentus est: denunciantur inimicitia, pacem meditatur: sollicitatur à maligno, resistit audacter, latumque tunc triumphum agere sibi videtur, cum semetipsum edomuerit. Cibus & potum ita moderatè sumit, ut neque mentem offuscet, neque debilitet corpus, nullaque demum animi tranquillitas, nulla lætitia, hilaritas nulla huic comparari potest, quæ in recte factorum conscientia requiescit, cum se pium cogitet, cum se vitam puriter egisse reminiscitur.

DE FLORO. CAP. XXXVII.

Longe diversum ab Otide est ingenium Flori: nam quantum illa venerationis in Equum ostendit, tantum hæc exercet odii & ignominia.

FEROX A MANSVETO SUPERATUS.

CAP. XXXVIII.

Ferocem hominem ab humiliore mansuetioreque superatum, per Florum aviculam, quam *αἴθρα* Græci vocant, significabant. Palustris avis ea est, coloris pulchri, oculorum acie non satis valens, quæ cum Equo semper pabuli gratia dimicat: herba enim uterque pascitur. Illa vocem ejus interdum imitatur, insilientisque adversus Equum, dorsum occupat, quamque maximo potest morfu colla armosque vellicat: hisque auxiliis freta, cum plerumque fugat.



Flori avis descriptio.

DE SALO. CAP. XXXIX.

Quando vero in has incidimus inimicitias, non dissimiles ab his recensebimus, quæ inter Salum & Asinum habentur ingentes.

INJURIARUM ULTIO. CAP. XL.

Agythum Aegyptii, quem Latini Salum vocant, Asini ulcera rostro excavantem pingunt si hominem illatas filii injurias ulciscantem significare volunt. Nidulatur hæc plurimum in spinis, *Egythus, sive Salus.* acciditque ut Asinus pruritu ulcerum excitatus, scabendi causa se conferat ad spineta, atque ita atterat ulcera, nidosque dissipet: quod quidem illa adeo payet, ut cum etiam vocem rudentis audierit, ova abigat per abortum, pulli etiam metu labantur in terram: itaque Salus ob eam injuriam in Asinum involat, ulceraque ejus rostro impetit, affixaque pertinacius quanto maximo potest conatu excavat, Denique

nique atrox usque adeo odium inter eos esse autumant, ut utriusque sanguinē commiscueris, sponte se uterque subducatur ac separetur, antipathia, ne coeat pertinacissimē repugnante.

NECESSITUDINIS AVERSATOR. CAP. XLI.

SI vero Florum una cum Salo pingerent, hominem qui alterius necessitudinem pertinaciter aversaretur, significabant: quare aves illæ aut aversæ invicem, aut capitibus saltem obtortis in diversa pingendæ sunt. Commentum causa ea est, quod inplacabiles inter utramque inimicitia intercedunt, neque ullo pacto fieri potest ut harum quoque sanguis exhaustus commisceatur: consulum enim non aliter alter hinc, alter inde contrahitur, quam oleum ab aqua subducitur, usque adeo natura ipsa dissident, Quare tibi tria sunt observanda ejusdem generis exempla, quorum natura inter se minimè congruat, sitque pertinacissimæ discordiæ, Salus & Florus, Salus & Afinus, & de quibus suo loco dictum, Cornix atque Noctua. Namque ut nihil est appetentius, nihil rapacius similitum sui quam natura: ita etiam dissimilium nihil aversum magis, ac magis abominabile.

Plin. l. 10.
cap. 74.

DE ARDEA.

EXANGUIS DE NEQUITIA REDDITUS. CAP. XLII.

Hominem ita libidinis usu confectum exhaustumque, ut propemodum exanguis sit effectus ostendere qui vellent, Ardeolam illam pelam pingebant, quæ Græcè *ἐρωδίου* dicitur: ea de causa ita angitur, ut sanguinem ex oculis emittat, remque summo cum dolore peragat, clamore vasto atque admodum insuavi difficultatem attestante. Nomen illi apud Græcos inditum ajunt, *ὅτι ἐὰρ ἰσχυρὰ* nam *ἐὰρ* quandoque sanguinem significat. In collectaneis Suidæ Grammatici dictam volunt *ἐρωδίου* *ἐν ἔλσει* *ἡγερθεῖν*, quod in paludosis & humidis locis versetur, quasi herodium dicas. Sunt qui eas inter Grues recenseant: sunt qui similem Grui dicant: & Divinarum literarum interpretes de ave hac, ubi vulgata Psalmorum editio habet, *Herodii domus dux est eorum*, varia tradiderunt.

Quod sicut
sanguinem.

Psal. 104.

TEMPESTAS. CAP. XLIII.

Sedenim D. Augustinus, qui herodium fulicam arbitratus, tempestatis eam impendentis signum autumat. Sedenim apud Maronem Ardea & Fulica diversæ sunt volucres, tamen utraque sit indicium tempestatis: ait enim,

Idem Plin.
l. 10. cap.
74. item.
Georg. lib. 1.
Plin. ibid.

— Cumque marine

In seco ludunt Fulica, notaq; paludes

Deferit, atq; altam supra volat Ardea nubem.

Sed super hac satis est à nobis in Ciconiæ commentario disputatum.

DE CINNAMO.

AROMATARIUS. CAP. XLIV.

Hominem ex aromatum mercimoniis ditescerentem significantes, Cinnamum autem pingunt. Avis ea in Arabia versatur, quæ furculos Cinnami congerit, ex quibus nidum sibi conficiat: quocirca indigenæ plumbatis eum sagittis decutiunt, mercis gratia: neque aliud mihi super ea compertum est.

Hac à Plin.
lib. 10. c. 33.

DE VELIA.

STUDIOSUS OTII. CAP. XLV.

Studiosum otii & commodorum hominem indicare qui volunt, Veliam avem pingunt: ea enim in umbra & aura æstatem agit, hyemem in apricis: nam & potentes, cum in eos qui otio literario

rario

A rario dediti sunt cavillantur, genus hominum ignavum appellant, quod, ut apud Juvenalem est, te-
sto gaudet & umbra.

DE ASIONE.
IGNOBILITAS. CAP. XLVI.

IGNobilem hominem, atque uti dici solet, Terræ filium, notare si vellent. A sionem illum pingebant,
qui diversus à perenni est, corpore pingui & minimè vocali. Nihil enim habetur exploratum de
generatione ejus, cujusmodi, qualisq; sit: cæterum Favoniis tantum stantibus eum apparere con-
stat, veluti etiam pleriq; homines ignobiles, potentiorum tantum favore aliquo, tali quippe adspi-
rante Favonio, nullis alioqui natalibus, nulla probitate, nulla virtute, nulla muniti disciplina ad cla-
rissimas interdum dignitates evehuntur, omnibus unde hi prodierunt, admirantibus. Nactuarum
hoc est genus maximum, quibus pluma aurium modo surrigitur, unde & nomen illi: otus enim Græ-
cis est, de qua quidem apud Athenæum plura comperies.

A sionis ge-
neratio in-
cognita.
Idem Plin.
lib. 10. c. 27.
Easdem a-
ves quidam
dicunt.
ὄτις αἶς.

MIMUS. CAP. XLVII.

PER hanc avem plerique mimum atque parasitum expriment: non enim à mimica multum distat
ars parasitandi, quam ita describit Horatius:

Epist. lib. 1.
Sat. 18.

Alter in obsequium plus a quo pronus, & imi

Ut puerum credas sevo dictata magistro.

Derisor lecti, sic nutum divitiæ horret.

Reddere, vel partes mimum tractare secundas.

Sic itent voces, & verba cadentia tollit,

Est enim hæc avis omnium maximè imitatrix, & ut Plinius ait, parasita, & quodam genere sal-
tatrix. Plin. lib. 10. c. 27.

CORNUTI. CAP. XLVIII.

HÆc in clypeo atq; insigni militum Romanorum, qui recentiori tempore, paulo ante quam de-
clinaret Imperium, sub Magistro peditum merebant, ordinis ejus agnum fuit qui CORNUTI
appellabatur: eratque ales prasini coloris in orbiculo luteo, quem cæruleus ambitus late ductus
circumplectatur, à quo mox arctior & ipse luteus, & circa marginem extremus ruber.

DE JYNX. CAP. XLIX.

JYNX inter linguâ nobiles enumeratur, pro quo nomine Lyncem complusculis in locis apud Plini-
um corrupte scriptum offendes indice etiam illo tam copioso, eodem errore perplexo notato:
quippe qui volucre animal quadrupedibus adnumerarint. Lyncem eam quæ nostra Jynx est, arbitra-
ti, Fringillam hanc vulgo dicunt, ut Gaza putat. Græci pleriq; Romani sermonis non vocem, sed si-
gnificationem secuti, *σεισσηπιδα*, Latini à caudæ continuo motu, motacillam dici tradidere, Tor-
quillam alii, à torque, quo collum insignita est, alii Turbinem, alii aliter nominarunt; sed nos Plinia-
ni codicis macula jam eluta, ad significata nostra revertamur.

Quid et-
iam verti-
cellum à
colliverfura
vocant.

DICACITAS. CAP. L.

PER eam pictam nonnulli dicacem hominem intelligunt, propter insignem linguæ longitudinem,
linguam enim habet Serpentibus similem, quam in longum mensura quatuor digitorum expor-
rigit, rursusq; contrahit intra rostrum non complicatam, sed terreni lumbrici more collectam, & in
sefe reductam. Communis autem sermo verbosus garrulosque homines, ab instrumento ipso lin-
guaces appellare solet. Sed ad linguam id etiam addemus, quod pedes habet Jynx, binis utrinq; digi-
tis insignes: illi tamen hæc de Lynce dicta credidere.

Hæc à Plin.
lib. 10. c. 97.

INCANTATIO. CAP. LI.

PASSim vero præcipuum ales hæc fuit incantationum signum: propterea quod ei amatorium
quid natura inesse persuasum est. Quinetiam quæcumque ad rem amatoriam veneficia, phar-
macia, maça,

Quomodo
pro venefi-
cia combu-
maça,

ratur docet
Tenedius
in naviga-
tione Pro-
pontiada.

maca, incantationesque comparantur, uno vocabulo Jynxas Græci vocavere. Hinc apud Theocritum intercalare illud, Pharmaceutria, *ἰνυζ ἔλακε ποτῆιον ἐμὸν ποτὶ δῶμα ἢ ἀνδρῶν.* Scribit Pindarus, Venerem Jynga cœlitus attulisse, quam Jafoni daret, carmenque docuisse, quibus Medeam in amorem alliceret.

VEHEMENS. CUPIDITAS. CAP. LII.

Idem Pindarus hieroglyphicè locutus *ἰνυζὶ δ' ἔλακεται ἡ πορὶ* dixit, vehementem cupiditatem significare volens, ut ejus interpretes exponunt. Jynx enim, ut interpretantur illi, vis illa dicitur, quæ cogitationem nostram ad cupiditatem & amorem trahit. Tradunt nonnulli Pichus eam filiam fuisse, propter persuadendi vim: maxima enim persuadendi vis inest amori, nihilque tam incredibile dici potest, quod amanti non persuadeas. Unde recte Ovid. *Credula res amor est.* Addunt, eam amoris beneficiis incitasse Jovem in amorem Ius. Sedenim Callimachus Echus filiam dicit, & Jovem (tanta eorum temporum vanitas fuit, ne imperitia dicam) ab ea beneficiis coactum, ut secum regem haberet: utcumque, mox ab irata Junone in ejusmodi aviculam transmutatam, beneficiisque amoris construendis damnatam.

DE CAPRIMULGO.

PERNICIOSA CONSVETUDO. CAP. LIII.

Perniciosæ consuetudinis hominem indicaturus quispiam, Caprimulgum avem pingat: ea enim inter capras familiariter versatur, appetitque earum ubera fugere: quod cum fecerit, uber extinguitur, Capra, ut ajunt, excæcatur.

DE TURDO.

SUIS ARTIBUS ELUSUS. CAP. LIV.

Hominem qui technis & commentis, consiliisve, aut artibus propriis elusus malè perierit, & cui dicitur, in laqueos quos tetenderat, incidit, ostendere qui volunt, Turdum viscatae impio-
κίχλα tum virgulæ pingunt: quandoquidem, ut inquit Plautus, *ipsa sibi avi mortem cacat*: viscum enim
κίχλα non provenit, ait Plinius, nisi maturatum in ventre ac redditum per avium alvum, maxime Palu-
τῆ κακόν. bium & Turdorum. Apud Irenæum legas quid huic rei simile, de iis qui in eligendo sibi malo sunt
Turdus ipsi procliviores, & adversa mox quæ in se ipsi contrahunt, Deo imputant, cum nihil aliud sit, *Inducere*
cor Pharonis, & *Excacare oculos populi apud Deum,* quam gratiam suam quæ se large volentibus in-
caecat, Me- fundit, à prave & iniquè agentibus avertere. Nam simulac quis Deum dereliquit, quæ bona sunt
minit Ser- aspernatus, amissa Spiritus gratia, omnibus inde afficitur incommodis, viam rectam non videt, &
vis 6. contumacem se opponit ad admonitiones, nullo pollet animæ sensu, ut sciat reprobare malum, &
vis lib. 9. de eligere bonum. Ita dicimus eum à Deo excacari, & obdurari, quemadmodum Solem occidentem
nat. anim. recessu à nobis noctem facere: cum alioqui nihil à Deo nisi bonum emanet, quemadmodum à Sole
semper lumen & calor.

SURDITAS. CAP. LV.

Turdo sur-
ditas. Zeno-
do 111 ex
Euclidi Dio-
nyso.

Alioqui Turdus surditatis indicium est, cum omnium avium eo plurimum incommodo labora-
re Turdum, manifestum habeatur, accedit hic, quod proverbium *κίχλης κωφός* est, de lo-
quacibus, qui loquentes alios pati nequeant.

DE

DE ERYTHACO.
SOLITUDINARIUS. CAP. LVI.

Solitudinarius hominem qui significant, Erythacum avem pingunt, quæ quidem ita secessu ac solitudine gaudeat, ut raro duas vel in eodem saltu reperire possis. Eam Theodorus modo Sylviæ, modo Rubeculam appellat: alterum à sylvarum desertis, alterum à rubris indicio, quod ex Græca dictione colligitur.

*Quidam sic
hyeme vo-
cant: est te-
vero Phani
currum, à
cauda ru-
bea.*

DE CINCO.

PAUPERRIMUS. CAP. LVII.

Inveniebam extremæ paupertatis hominem per Cinclum avem pictam significari. Causam Ailianus affatim explicavit, qui Cinclum avem esse dicit imbecillam, invalidamque adeo, ut nidum sibi ipsa parere non possit, alienisq; ideo nidis ovifortare. Est & apud Suidam aliqua de Cinco mentio, cui nomen à caudæ motatione sit *σεισπρωγδι*. Ea nimirum Jynx est, de qua nunc agebamus. Hanc sane vulgus plerisque locis, Græcum vocabulum exprimendo, *Codaquassulam* dicit. Interpretes Theocriti hoc ipsum agnoscunt, & *καγκλιζεν*, *lumbos motare*, dicunt, quod Latini *fluente lumbos* reddidere.

*δὲν τὴν ἰσο-
σπρωγίαν,
i. e. à rubi-
scendo.*

CINGANI. CAP. LVIII.

Cum itaque Cinclus inops adeo sit, neque certo usquam laire utatur, nonnulli erroneos illos, qui nunc totum terrarum orbem mendicabundi cum chiromanticis uxoribus & liberis peragrant, nusquam certas domos habentes, quos vulgæ Cinganos vocamus, Cinclos ab avis hujus similitudine appellatos arbitrantur.

ADVENA. CAP. LIX.

Quamquam in univèrsum omne genus avium, quod aruspices pro peregrinis, advenis & con-venis accipiunt: ut ostenti ejus declaratione patuit, quod Alexandro oblatum est, dum condendæ urbis Alexandrinæ in Ægypto modulum ab architectis deposcebat, forteque evenisse ut neque gypsus, neque alba terra uspiam inveniretur, quo situm & magnitudinem cupido Regi describerent, architecti ad farinæ opem se contulerunt, eaque disseminata quaqua urbis mœnia du- cenda erant, accidit ut aves ad eam depascendam avidius advolarent: quo quidem ostento terri- tus est Alexander: sed aruspices respondere, prospera urbi ex hoc portendi, quod futura esset omni- um & nutrix & alumna, solique ubertatem esset alienis quoque gentibus largissime communicatu- ra.

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM
LIBER XXVI.

DE IIS QUÆ PER APEM, ET ID GENUS
CÆTERA SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD MAGNIFICUM PETRUM MELLINUM ROM. SENATUS
CANCELLARIUM.

Volatilium significationes, quas in aliquot digestimus commentaria, legisse te scribis, Petre Meline Romanorum ingeniorum præfens decus & ornamentum, in quibus & Apem habere voluisses, quæ, quod mellifica est, ad domus tuæ gentile nomen cognationem quandam habere videatur. Proinde, si quam, ut superiori anno fecisti, adium tuarum parietem victuris ornare pares, habiturum te speras